


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE



ARISTOTELIS

LOGICE, RHETORICE, POETICE

COMMUNIBUS PRINCIPIIS



1840

ARISTOTELIS

LOGICE, RHETORICE, POETICE,

QUIBUS UTANTUR

COMMUNIBUS PRINCIPIIS.

ARISTOTELIS

LOGICE, RHETORICE, POETICE

QUIBUS UTANTUR

COMMUNIBUS PRINCIPIIS,

Propositâ ad impetrandum Doctoris gradum Thesi indagabat
jam in Litterarum Facultate Licentiatus,

H. FORTOUL.

Nihil enim inter Peripateticos,
et illam veterem Academiam differebat.
CICERO, *quæst. Acadèmic.* lib. 2.





Lugduni,
EX TYPIS ANTONII-PERISSE,
IN VIA MERCATORIA, 33.
1840.

Magistro

Doctissimo ac Dilectissimo

J. Noirot

IN COLLEGIO LUGDUNENSI

Philosophiæ Professori,

Fidum hoc memoriæ nec non observantiæ testimonium
gratissimus dedicavit alumnus,

H. FORTOUL.

ARISTOTELIS

LOGICE, RHETORICE, POETICE,

QUIBUS UTANTUR

Communibus Principiis.

Quam famam, quam auctoritatem obtinuerint Logice, Rhetorice et Poetice Aristotelis nemo ignorat; quibus principiis nitantur, quibus imò sententiis ac præceptis verè constent, nemo ferè non nescit. Librorum verò istorum optimorum cùm prima rudimenta à nostrâ hâc gallicâ Universitate acceperim, nunc eidem pertentatam proprio studio doctrinam, et explanatam, si libet, substantiam dicare grati animi mihi visum est.

Primùm dicendum est de syllogismo, in quo tota Stagyritæ Logice, totaque fermè gloria sita est. Ille enim qui tot in scholis tæ-

dia, tot, per hominum confabulationes, jocos suscitavit syllogismus, idem summo mihi honore et poeticâ etiam coronâ præcinctus, videtur. Nam si verborum insolitam obscuritatem penetraveris, et superiorem ipsam idearum realitatem concipere planè potueris, in philosophorum doctrinis vel à nostro hoc furenti rerum strepitu remotissimis, patheticum sæpè quoddam et epicum de humanâ divinâque naturâ carmen invenies.

Platonem inter et Aristotelem recentiores nostri philosophiæ disputatores discrimen maximum, et implacabilem fermè pugnam esse affirmaverunt : quibus si fidem adhibueris, nihil aliud ex Academiâ Princeps Peripateticorum, per viginti annorum studia, retulisset, nisi Academiæ fastidium ac despicationem. Doctrinæ autem materiâ potiùs et ritu, quàm principiis, non discipulos Platonis et Aristotelis inter se, sed Platonem ipsum et Aristotelem dividi dicam ; et hoc quidem faciliùs perciperes, nisi magistrales libri ex alumnorum manibus emendati aut amplificati prodierint.

Quid verò quærebant antiquiores illi Græciæ philosophi ? rerum videlicet principia. Quarum autem et undè, rursùs interrogabis ? visibilium omnium ex ipsis visibilibus, æquè respondere mihi videor. Thales enim, Ioniorum princeps, quòd orbem ex aquâ editum tradide-

rit ; Anaximenes, quòd ex aere ; Heraclitus, quòd ex igne, inclyti evaserunt. Parmenides inter Eleatos, quòd è calore aut lumine; Leucipus et Democritus, quòd ex atomis ; Empedocles, quòd è quatuor elementis, rerum omnium originem expressêre, summi philosophi appellati sunt. Quin imo Pythagoram illum, cur numinis et cœlestis cujusdam δαίμονος vice Græci venerati fuerint, si postulaveris, etiam respondebo, quærenti illi quid infinita naturæ accidentia commune haberent, numerum (ἀριθμὸν) occurrisse : ita ut, communem aliquam rebus omnibus qualitatem pro rerum ipsarum principio sumens magister, mathematicam pro philosophiâ ediderit. Primus enim Anaxagoras ex Asiâ Athenas, superiorem naturæ ipsi, id est νοῦ et ψυχῆς doctrinam invexit.

Cujus Socrates dùm doctrinam servaret ac absolveret, et sophistarum in *objectivis* istis, ut dicunt Germani, disciplinis pullescentem turbam profligaret, primus verè hominem à sensuum servitute redemit, et ad intimam suimetipsius cognitionem invitavit. Per apertam indè viam Plato in animi arcana progressus, in rebus exteris nec causam nec imò realitatem inesse, et ex Idæis divinitùs homini infusis naturam, non ex naturâ Idæas procedere comperivit. Itaque in ipsâ mente et ἀρχαῖς, quod in naturâ et ἀριθμοῖς Pythagoras

invenerat, universale principium detexit et confirmavit. Hæc maxima inter Græcos novitas. Scripsit enim Aristoteles in analyticis prioribus (*lib.* 1.; *cap.* 2, *pag.* 375) scire ex accidenti (ἐπίςασθαι κατὰ συμβεβηκὸς) idem esse ac scire sophistico modo. Quâ nimirùm aliâ methodo uti possent crassi isti homines, qui ad terram proni et meris phænomenis incumbentes, nulla necessaria, omnia contingentia æstimabant ac pertractabant? Cùm verò idæarum doctrinam Plato instituisset, in hoc tantùm quo causa aperitur, quo necessitas inest, quo æternitas capitur, id est in universali (καθ'ὅλου) scientiam collocavit. Arduus tamen supererat labor. Nempè duas partes fecerat Plato, alteram idæarum quibus veritas et immutabilitas attribuebantur; alteram phænomenorum quæ incerta, mobilia, hinc et inde sublucentia continenter labebantur ac fluebant. Maximi autem erat momenti agitatum hoc accidentium et inconstans mare domari ac pervium fieri hominibus. Non satis est enim portum optare, petere, videre, non satis undas spernere et procellarum vim animi serenitate propugnare. Ille pretium tollet qui ventos auspicari, vela aptare et advertere, funes tendere, puppim gubernare, insanientem Neptunum ratione vincere, et ad terram citiùs ac securiùs appellere potis erit.

Cùm verò sit omnis certitudo in Idæis, manifes-

tum fit nullam in rebus esse posse certitudinem, nisi res ad Idæas reduxeris, aut eas demonstraveris in Idæis contineri. Quis autem communem Idæis et rebus, necessario et contingenti mensuram quærere audeat? Quam invenit Peripateticorum Princeps, dùm syllogismum condidit, quasi pontem quo ex universali ad particulare, rejunctis quas Plato diviserat ripis, mentes traducerentur. Sed per ipsos Analyticorum libros, quod præsumpsimus, jam explanari licet ac comprobari.

Has mihi volventi paginas quibus illustrandis tot et tanti viri vitam impenderunt, nec ideo illustraverunt, certum id evenit, nempe *exotericam* tantùm doctrinam scriptam fuisse ab Aristotele, et *acroaticam*, è quâ pendet illa, aut absconditam in integrum, aut tenuissimâ ex parte reconditam nobis fuisse. Animadverti enim tùm in Analyticis prioribus, tum in posterioribus, ea quibus cætera enodarentur, ad finem et paucis verbis, quasi supervacua et quàm minimè conspicienda, relegata fuisse. Sic igitur postquàm in Analyticis prioribus de syllogismi figuris, inventione et potestatibus multa in infinitum Stagyrita disseruit, breviter in extremis adjicit cæteras ratiocinandi formas quibus interna, ut ita dicam, syllogismi natura clariùs explicatur; pariter in exitu Analyticorum posterirorum cùm

veram scientiæ disciplinam principiis niti perdiù demonstravit, tunc tantùm de cognitione principiorum quæ fuisset in primis exponenda exiguum depromit sermonem. Idcircò non miratus fueris, si tot exortæ sint de tam parcè traditis notionibus disputationes ; et tironi mihi ac proindè inexperto, precor, indulseris, si tamdiù et penè incassum agitatæ litis arcana nec penitùs intrare, nec illuminare omninò potuerim.

Fundamenta tamen, qualia mihi visa sunt, effodire primùm conabor. Platonicas nempe Idæas, non quia præstantiores rebus, sed quia in mente quidem sint aliquid à mente diversum et ab ipsâ persæpè ignoratum, propugnavisse mihi videtur Aristoteles. Quod si enim Idæas neget, Principia (ἀρχὴ) admittit. In principiis autem cognitionem (γνῶσις) à scientiâ (ἐπιςήμη) distinguit. Quoad scientiam, principia sunt prima (πρῶται) immediata (ἀμέσαι) indemonstrabilia (ἀναποδείκται), notiora et priora in se (γνωριμώτεραι καὶ πρότεραι τῇ φύσει); ipsis quin etiam solis licet universale (καθ'όλου) attingere. Universale autem appellatur, non id tantùm quod omni inest (κατὰ παντός ὑπάρχει), sed etiam quod est per se (καθ' αὐτό) et quà, quidquid sit, hoc est (ᾗ αὐτό). Quoad verò cognitionem, principia non habentur in mente, antequàm agnoscantur. Particularia autem universalibus sunt

notoria et priora, non in se, sed erga nos (*τὰ καθ' ἑνός ἐςὶν γνωριμώτερα καὶ πρότερα πρὸς ἡμᾶς*). Jam verò ut universale concipiatur, non satis erit mentem unum particulare agnovisse; oportebit etiam quodam habitu (*ἕξει*), quâdam exercitatione usam illam fuisse. Qui autem habitus fulcitur congenitâ facultate judicativâ, quæ vocatur sensus (*ἡ δυνάμις σύμφυη κριτική ἥν καλοῦσιν αἴσθησιν*), et quæ aliquid ex unâ quâque re sensu perceptâ retinens, id memoriæ mandat, ita ut è pluribus memoriis una experientia constet (*αἱ γὰρ πολλαὶ μνῆμαι τῷ ἀριθμῷ, ἐμπειρία μία ἐςὶν*). Universale autem sensibus minimè capitur (*τό καθ' ὁλου οὐκ ἐςίν αἰσθάνεσθαι Anal. post. lib. 1. cap. 31.*); concomitatur particularia, sed ex his non oritur; manifestum fit per se, sed unà cum particularibus; quiescit etiam in animâ (*ἠρεμεῖ τό καθ' ὁλου ἐν τῇ ψυχῇ. Anal. post. lib. 2. cap. 19*), non experientiâ inclusum, sed experientiæ adjunctum, et experientiâ præstantius.

Quâ autem in parte quid voluerit Aristoteles; omnes ferè nostri recentiores ignoravisse mihi videntur. Inter quos primus Baco ille inclytus Verulamius, cùm non intelligeret universale post particulare nobis manifestum fieri posse, et tamen à particulari non gigni, *Organum* Stagyritæ renovare incepit, ut Peripateticos corrigeret, et demonstraret continuam esse intellectûs scalam, ascendentem à

particularibus ad generalia , et à generalibus rursùm ad particularia descendentem, sine ullâ nec Platonicarum Idæàrum , nec Aristotelicorum Principiorum ope. Inde istæ satæ sunt disciplinæ quibus majores nostri et animos et colla dederunt, èt quæ axiomate hoc notatæ sunt : nihil est in intellectu quod non fuerit priùs in sensu. Humilis adeo doctrinæ vestigia in magistri scriptis frustrà indagavi. Quorum si librorum inexpressa arcana pandere mihi fas esset , dicerem mentem nihil præter semetipsam continere , sed duplici ita præditam esse visu , ut simul et sensu (αἰσθήσει) particulare in orbe creato , et intelligentiâ (νοῷ) correlativum universale in divino infinitorum gremio conspiciat. Hoc tamen universale quomodò à particulari non omninò discrepet, non minima Aristotelis laus invenisse. Nam particulare , quotiès libuerit, junxeris particulari, nec ideò per hanc tot numerorum methodum ad universale perveneris; universale enim et infinitum, quod unum et idem est, è nullo alio nisi è se oritur. Ex eo tamen quod infinitum in finito contineri non potest, minimè sequitur in infinito finitum non posse contineri ; si autem reperias quomodò finiti ac infiniti, id est particularis ac universalis fieri possit collatio, finitum et particulare infiniti et universalis naturæ consociare quâdam ex parte poteris. Ita et Aristoteles :



hìnc etenim ex ipsius universalis altitudine, per istas generis et speciei partitiones descendit; illìnc verò particularia, per quamdam mathematicam fictionem, in extremum universalium locum erexit. Quòd si autem imagine quâdam uterer, novam hanc interpretationem immensæ confirmarem exemplo arboris, cujus radices in terrâ absconditæ, frondesque ad cœlum usque evectæ, telluris succos ex alterâ parte, et nubium ex alterâ liquorem permiscuerint: quam Plato quidem solis è nubibus, Baco longè posthàc è tellure tantùm, Aristoteles autem in medio è nubibus et tellure simul sua ducere alimenta æstimaverunt.

Quo autem modo cognitio et scientia differunt, eodem et differre inter se Stagyrita monet inductionem (ἐπαγωγὴ) et syllogismum (συλλογισμὸς), pares fermè hisce methodis quas recentiores nostri analysim et synthesim nuncupavêre. Namque inductio in particulare ingerit universale, et syllogismus ab universali ad particulare progreditur. In eo igitur jam syllogismus constiterit, si, quibusdam positis, aliud quiddam diversum ab his quæ posita sunt necessariò acciderit, eò quòd priora hæc ita sint; in eo contra inductio, si in quovis accidenti, vi propriâ mens unum universale aut plura universalia induxerit. Nam in syllogismo nihil mens de se addit, ut ex verbo ipso patet

(συλλογισμὸς), quod propriè significat aliquid λόγῳ συνόν; in inductione autem nihil necessariò inest, cùm verbum ipsum inductio (ἐπαγωγὴ) significet aliquid de mente ductum fuisse in particulare (ἀγομενὸν ἐπι το καθ' ἕκαςον). Quo fit ut syllogismus probet, per medium, primum de tertio (διὰ τοῦ μέσου τὸ ἄκρον τῷ τρίτῳ δείκνυει); id est majorem de minori, id est universale de particulari; ut inductio autem, per tertium probet primum de medio (διὰ τοῦ τρίτου τὸ ἄκρον τῷ μέσῳ. *Analyt. prior. lib.* 2, *cap.* 25, *pag.* 361), id est in particulari diversa duo universalia conjungat. Alter igitur est à sensibus longè remotior, altera verò sensibus propinquior; ille, ut ait Aristoteles, notior et prior naturâ (τῇ φύσει), ista notior et prior quoad nos tantùm (πρὸς ἡμᾶς); is denique doctis (ἐπιςήμοσι) qui principiis nituntur, hæc contrà multitudini quæ omnia sensibus dijudicat, convenit.

Analyticorum verò librorum cùm principia delibaverimus, nunc juvat et partes brevissimè designare, è quibus doctrina peripatetica clariùs effulgeat. Analyticorum priorum libros duos pandit Aristoteles monendo de demonstratione (περὶ ἀπόδειξιν) et ad scientiam demonstrativam comparandam (ἐπιςήμης ἀποδεικτικῆς) se dicturum esse. Tunc, paucas post definitiones, pergit nuntiatque, quoniam demonstratio (ἀπόδειξις) sit syllogismus quidam, non omnis autem

syllogismus sit demonstratio, se de syllogismo priùs universalia, posteriùsque de syllogismo demonstrativo (ἀποδεικτικῷ καὶ ἐπιϛημόνικῷ) particularia verba facturum esse. Tres verùm sunt omnis syllogismi termini, quorum primus et tertius vocantur extremi, secundusque medius appellatur; si autem tertius inest medio, si medius primo, tertius necessariò primo continetur, et fit *prima* syllogismi figura, quæ perfecta semper est; si medius itidem ambobus extremis attribuitur, habes *secundam* figuram quæ parit quamdam analogiam, et manet proindè semper imperfecta; si medio autem ambo extremi attribuuntur, *tertiam* reperies figuram etiam imperfectam. Si tres terminos cujusque harum trium figurarum invicem è necessariis, contingentibus et meris propositionibus composueris, istam invenies multitudinem syllogismorum quos scholastici, barbaris nominibus, felapton, ditamis, datisi, baroco, brocardo, etc... designavêre. Ne ego quidem dicere ausim ex his omnibus innumeris syllogismis veritatem æquè prodire; sed hujus admonitionis memor, quâ Aristoteles libros aperuit, per hos jam formam tantùm syllogismorum explanavisse eum jure affirmaverim. Quam tamen formam ab ipsâ re scholastici multa per sæcula non benè satis discreverunt.

In utroque Analyticorum posteriorum libro,

tandem de augustiori illo syllogismo, qui demonstratio (ἀπόδειξις) nuncupatur, et ad quem ab incœpto, ut docuit ipse, tendebat, disserit. Nam anteà quid è positis quibusdam oriri posset, quidquid id foret, quæque ea essent posita, indicavit; nunc id tantùm quod scientiam (ἐπιστημὴν) gignit, considerat. Scire (ἐπίστασθαι) autem est noscere rem, non ex accidenti, sophistico modo, sed simpliciter per causam. Demonstratio, seu syllogismus, fons hujus scientiæ purissimus, constat, ut diximus, è veris, primis, indemonstrabilibus, immediatis, prioribus ac notioribus τῇ φύσει principiis, quæ unà dicuntur ἀμέσος ἀρχὴ συλλογίστικη (*analyt. poster. lib.* 1. *cap.* 2), quæ autem si alicui scientiæ propria sint, θέσις, si verò omnibus scientiis communia, et homini quidvis discere volenti necessaria, ἀξίωμα vocantur. Tria autem sunt in demonstratione : axiomata è quibus fit demonstratio, genus quoddam per se (γενὸς τὶ καθ' αὐτὸ), affectiones quædam aut quædam per se accidentia (τὰ πάθη καὶ τὰ καθ' αὐτὰ συμβεβηκότα) quæ inesse generi, per axiomata, in conclusione demonstratur (*analyt. poster. lib.* 1. *cap.* 7. *pag.* 395). Necesse est enim accidentia fingi etiam per se existentia, si velis ea ad scientiam evehere; postquàm verò de hâc entitate quid per syllogismum affirmaveris, licebit rem

ipsam, cui et hæc consentiet, demonstrationis beneficio donare. Namque omnium eadem est scientiarum necessitas. Sed de his jam satis diximus, ut pateat quæ sit Aristotelis de humani intellectûs naturâ, de rationis artificio communis disciplina. Quibus nunc præmissis, quomodo ingenuarum artium Theoricen fundaverit Stagyrita, videamus.

Duo hæc igitur in omni re primùm æstimanda sunt, diverso autem modo, particulare nempè et universale. Particulare enim multitudini manifesta omnia et clariora quasi ponit ante oculos; universale verò, etiam si figuris sæpè velandum sit, solum tamen vel indoctissimis hominum, tùm scientiæ intelligentiam aperit, tùm divinum artis fremitum communicat. Quamobrem, in arte rhetoricâ, miros cardinalis hujusce partitionis usûs jam licet contemplari. Quòd si enim horum plerique qui anteà rhetorice operam dederant contingentibus ac sine ullâ scientiæ ratione depromptis præceptis vagantem alumnorum imperitiam instruere conati fuerant, ipse contrà Aristoteles, ab istis quæ jam prætulimus principiis auspicatus, recta ad id tendit in quo ars illa tota versatur. Dùm primùm ergò quærit, quid sit in rhetorice universaliter faciendum, probationem invenit et extemplò aggreditur. Nam rhetorice ars est quæ in quovis id spectat quod sit ad sua-

dendum idoneum; suasio autem fit probationum duplici genere, altero earum quæ sine artificio, altero earum quæ artificio perficiuntur. Priores verò è re oriuntur ipsâ, et sunt quasi τῇ φύσει; posteriores contrà è nobismetipsis pendent, et sunt, ut ita dicam, πρὸς ἡμᾶς. Inter illas, testes, responsa tormentorum vi extorta, pacta, et similia adnumerat Aristoteles; inter has verò, parem rursùs isti, quam supra fecimus, divisionem delineandam indicat: earum enim probationum quæ nostro fiunt artificio, aliæ cùm tam moribus et existimatione loquentis, quàm audientis indole et animo nitantur, quasi πρὸς ἡμᾶς iterùm sunt, aliæ cùm ex ipsâ nascantur oratione, et ex ipsius rei verâ fictâve demonstratione constent, etiam τῇ φύσει dici possunt. In utrisque verò ultimis istis partibus, omnia rhetorices præcepta distribuuntur.

Qui autem dicit, (nam ab eo incipiam) ita dicat, ut è moribus suis maxima prodeat suadela. Cùm enim particulari præsertim vulgus fidem adhibeat, multùm profecerit orator, si jam se quasi exemplum vivamque rei probationem dederit. Quo verùm modo mores ille commonstrabit? hos scilicet affectus revelando, per quos auditor mores introspiciat. Si auditoris contrà affectus movere velit orator, mores ejus aut agnoscere, aut opinari, et ex his sermonis materiam sumere debet. Ut autem in Logice sophis-

tas incusavit Aristoteles qui depromptam tantùm ex accidenti scientiam olim habuerant, ita et in hâc rhetorices parte queritur nugantes ante à rhetores, in his solis quæ aut ex oratoris affectionibus ad comprobandos mores, aut ex auditoris moribus ad affectiones suscitandas conducuntur, artem suam totam constituisse. Ipse verò acri contendit studio ad eam probationis partem, quæ, ex imis rei visceribus edita, universale quoddam rhetoricè proprium conformat.

Ut autem perpetuum illum eorumdem principiorum reditum miraberis hoc etiam in loco constantem particularis et universalis partitionem ostendam. Omnes namque probationes ex re ipsâ ortas, aut demonstrativas (τῇ φύσει), aut demonstrationis vicem habentes (πρὸς ἡμᾶς) Stagyrita indicat. Priores, enthymemata; posteriores, exempla vocat. Quarè sæpiùs ipse dictitat, enthymema et exmplum syllogismi et inductionis in rhetorice munus gerere.

Enthymema verò per se nihil aliud est, nisi syllogismus ambobus tantùm extermis compositus, medioque carens termino, qui quidem dùm in mente (ἐν θύμῳ), utpoté satis manifestus, retinetur, huic ratiocinandi formæ nomen dedit. Quam non solùm ob causam, sed ipsius etiam propter naturam rhetorices, enthymema est syllogismo minùs perfectum. Syllogismus enim cùm plerùmque necessariis propositioni-

bus perficiatur, necessariam perindè demonstrationem parit; enthymema contrà cùm in publicis privatisque litibus contingentes ferè semper propositiones adhibeat, contingentes pariter probationes explicat; undè etiam evenit ut omnia enthymemata vel è signis, vel è verisimilibus suam ducant originem. Verisimilia autem sunt quasi universalia rhetorices; nam ab his quæ vulgò accidunt, accidens quodlibet in disputatione positum, quodam modo potest comprobari. Signa contrà sunt duorum generum; nam ex ipsis, sive à particulari ad universale, sive ab universali ad particulare concludas, ad res significatas duo sunt itinera. Quorum verò signorum posteriora, quæ ab universali ad particulare descendunt, necessaria sola, lites funditùs resolvunt, et ideò τεκμέρια sacro quodam vocabulo appellata sunt.

Cùm jam enthymema imbellius sit syllogismo, ipsum et exemplum plus æquo etiam est inductione debilius. Hoc enim in particulari universalia nulla, particulare autem aliquid tantùm declarat; probat igitur simile similibus. Sæpè autem fit, per ignorantiam vulgi, quod particularibus immorari consuevit, ut vile etiam hoc argumentum magnam sed indebitam vim accipiat.

Enthymema igitur et exemplum duæ sunt

in rhetorice præcipuæ, paresque præcipuis logices duobus argumentis, methodi : quarum cuique sui oratores, sua dictio, sua tropæa. Ut verò syllogismis, nobilioribus ratiociniis, logicen omnem, ita et enthymematibus, eâdem de causâ, rhetoricen consecravit Aristoteles. Quarè eorum primùm origines accuratè prosecutus, aut è locis propriis, aut è communibus conduci ostendit. Propriorum autem locorum fons triplex. Ex eo enim quòd sit auditor trium generum, audiens nempè de futuro quodam quod rempublicam movet, audiens de præterito quod noxæ fuit, audiens de præsenti quod ad voluptatem aut scientiam attinet, necessariò sequitur, tria numerari genera, nempè deliberativum, judicativum, et demonstrativum in quibus propria loca, id est varias origines, varios enthymematis usus reperire est.

Jam verò intelligere fas est, certam esse ratiocinandi formam, quæ cuique trium horum generum meliùs aptetur. Nam si mediâ in multitudine fieri soleant deliberationes, exemplo potiùs utendum est, idoneâ ignorantibus et particulari incumbentibus figurâ. Si judices contrà è doctioribus et quodam intellectûs habitu conspicuis viris electi fuerint, tunc enthymemata connectes, magis ad mentes movendas quàm ad percutiendos sensus valentia argumenta. Quòd si tandem aut virtutum aut he-

roum vim coram libente ac planè assentiente hominum congregatione acciderit ut possis demonstrare, tunc methodum quamdam singularem invenies, quam amplificationem vocant, à dithyrambico fluxu non longè dissimilem, furentem scilicet ac florentem pedestris sermonis bacchationem.

Cujusque tandem generis vicissim limen ingressus Aristoteles, postquam monuit quomodò vel infimæ audientium normæ sermo aptandus sit, tunc ab oratore summarum ac generalium rursùs cogitationum vindemiolas et opes accuratissimè comparandas postulat. Nempè eadem est oratoris ergà audientes, quæ universalis ergà particulare ratio, quandoquidem è primo ad postremum pariter veritatis vis ac suadela deriventur. Itaque loquentem generalibus omnibus, quæ ad cujusque orationis propriam indolem spectant, notionibus, armis quasi integris cingit magister ac instruit. Deliberativum idcircò genus adorsus, de his primùm, quæ in deliberationem venire solent, disserit; pacem et bellum, publicas pecunias, oppidorum præsidia, alimenta, vectigalia, legum institutiones delibat. Mox ad generaliora evehitur, et de supremâ felicitate, quæ bona omnia continet, dicit; è quibus præmissis iterùm ad magis particularia reversus, summam definit potesta-

tem, varias dominationum formas distinguit. Demonstrativum autem idem ille genus, cujus laudem præsertim et vituperationem impertiri proprium est, virtutis universali quâdam contemplatione, particularibusque exemplis corroborat. In judicativo postremò genere, non tantùm noxias, sed humanorum omnium actorum causas, animi diversos motus, injurias, voluptates, reipublicæ jura et injussa, naturæ ipsius jus quod æquitas vocatur, à primis principiis ad ultimas perducit consequentias. Tribus autem in his generibus propria enthymematum loca diligenter notavit, quæ videlicet in primo, à bono et malo, in secundo, ab honesto et turpi, in tertio, à justo et injusto panduntur.

Postquàm verò generi cuique propria sive ex universalibus, sive è particularibus distribuit, tunc quæ sunt tribus his loca communia, cùm ex parte loquentis aut audientis, tùm ex parte ipsius orationis rursùs colligit. Primùm igitur de affectibus qui mores oratoris manifestant, secundò de moribus undè affectûs judicantium movendi sumitur occasio, tertiò de locis enthymematum et exemplorum pariter communibus disputat. Quo autem artificio omnia hæc tractaverit, quanquam jam à nostro id distet tantisper proposito, paucis tamen verbis monstrabimus. Monet enim oratorem, tria

hæc præ se, si credi ille velit, laturum esse, intellectûs scilicet prudentiam, morum probitatem, affectuum benevolentiam. In eo verùm maximè emicabit prudentia, si affectus audientium, tenuissimos quasi ac penè invisibiles nervos delicatâ manu movere ac personare potueris. Tria igitur iterùm in quovis affectu perpendenda sunt, nempè quomodo, quam in personam, quam ob rem homo quilibet affici soleat, ita ut judicis menti ad hunc modum incitatæ queat orator, parte in adversâ, et rem et personam retegere quibus decretorius ille affectus suscitetur. Sic iram et clementiam, amorem et odium, timorem et fiduciam, pudorem et impudentiam, misericordiam et indignationem, æmulationem et invidiam aut usurpanda, aut in audientium pectoribus accendenda tradit. Quod autem ad mores audientium spectat, non cæco particularium fato relinquit; sed universalia quædam instituens, delineatis jam variorum affectuum ingeniis, profectos aut ex ætate, aut ex fortunâ, humores cùm juvenum, virorum, senumque, tùm nobilium, divitum, ac potentium describit. Ubi verò ad communia tandem enthymematum loca venit, hoc iterùm rei nostræ congruens affirmat nullam esse posse argumentorum potestatem, nisi orator generalibus omnibus quæ ad id, de quo agitur, negotium pertinent, priùs informatus fuerit; tunc inter enthymemata, ut in-

ter syllogismos, demonstrativa à falsis distinguit, multaque notat loca quibus utrorumque genus agnoscatur.

De partibus verò orationis, quas è compluribus et contingentibus pariter divisionibus in duas tantùm necessarias, propositionem scilicet aut quæstionem, et probationem aut demonstrationem coegit, non longiùs, ut et αὐτος fecit, dicemus; singula etiam quæ de dictione rhetorices exquisitissima ipse disseruit, meliùs nos tùm collatione dijudicabimus, cùm ad poeseos dictionem venerimus.

Nunc enim ad præstantissimum illum Poetices librum, breviorem quidem paginis, rebus verò ditissimum, et famâ injuriisque multorum celeberrimum transeamus. In hoc etiam eorumdem principiorum, quæ è Logice jam in Rhetoricen labentia experti sumus derivationem persequemur. Quum autem ipso in proemio Aristoteles, poema et tragædiam, comœdiam et dityrambos, tibiarum cantus, lyrarumque compositiones, imitationes vocet, è formâ tantùm, non è substantiâ, hanc eum ducere definitionem, æquè dixerim. Quòd si enim meram et integram imitationem, ut ab eo recentiores nostri rei criticæ periti didiscisse jactitant, artibus omnibus justam et necessariam normam dedisset, nùm ullo fieri posset

modo ut ipse festinaret adjicere à poetis et à pictoribus aut meliores, aut similes, aut pejores naturâ homines repræsentari? numquid naturam bono malove vincere, hoc demùm est imitari? quid ergò per imitationem designaverit Stagyrita penitùs tunc percipies, cùm ad ea quæ suprà diximus redieris. Nam si rebus in omnibus particulare simul et universale connexa esse memineris, à particulari verò res ipsas multitudini manifestari (πρὸς ἡμᾶς) ab universali contrà rerum ipsarum naturam constitui, causamque aperiri (τῇ φύσει), tunc sanè intelliges, in arte, oculis præsertim addictâ, particulari locum quemdam conspicuum deberi, sed aliquam tamen universali, sine quo nihil est perfectum, viam esse præstandam. Vicem igitur particularis habet imitatio, nec pluris existimanda est quàm ipsum particulare, quod universale semper invocat. Ipse hoc nobis Aristoteles clariùs suppeditat, cùm imitationem ideò hominibus gratam esse arbitratur, (*poetic. cap. 4.*) quod ex eâ, ut è vivâ quâdam ac pictâ inductionis formâ, non variarum tantùm rerum notitiam, sed summarum quoque cogitationum mens occasionem accipiat.

Tria autem animadvertenda sunt in eâ imitatione, scilicet *quo, quid, quomodo*, poesis imitatur. Quo? numero, sermone, harmoniâ, id est musice, quæ tria hæc continet. Quid? ac-

tiones hominum. Quomodo? si poeta narrantis partes nunquàm deserat ut in dithyrambis, si personas contrà quasi viventes in scenam absconditus ipse immittat, ut in tragœdiâ et comœdiâ, si narrationem et actionem denique misceat, ut Homerus epico in carmine peregit excellentissimus. Ubi verò teneras horum poematum origines tetigit Aristoteles, in tragœdiâ primùm moratur, cui præcepta dat, è quâ tanquàm è perfectâ magis formâ exempla sua deprehendit. Ipsum igitur secuti quid omnibus in his partibus quas suprà exposuimus, ad particulare spectet, quid ad universale conveniat dividamus.

Tragœdiam verò Peripateticorum princeps definit imitationem actionis gravis, integræ, justis æquatæ modis, quæ jucundo, sed vario variis in locis sermone utitur, et sine narrationis ope, miserationis ac terroris spectaculo, hos ipsos affectûs et alios purgat similes. Istius verò definitionis, omnes antequàm partes singulatim scrutemur, duas nunc præcipuas notabimus, unam quâ imitationis qualitates, alteram quâ ejusdem finis designatur. Fine autem illo, quo levanda quæritur humanæ indolis debilitas, jam comprobaremus tragicam imitationem universalium quoque afflatu Idearum donari, etiamsi ex his quæ diximus suspicareris illam, per adjunctas qualitates, in

particularium numerum magis ac magis detrusam esse. Quarum tamen qualitatum alias particulari, alias universali referendas esse, facilè confirmabimus. Dictione nempè et musice quibus præcipuè fit, theatri quoque ornatu quo à cæteris discrepat, imitatio tragica oculis quasi revelatur et annumeratur inter particularia; fabulâ autem, moribus et affectibus, nobilioribus ejus, ut ita dicam, artubus, ad universale iterùm reducitur. Quod quidem in promptu habemus demonstrandum.

Fabulam igitur Aristoteles principium et animam (ἄρχην καὶ νουν) tragœdiæ vocat; mores indè secutos, cum ipsis quibus secreta omnis picturæ vis inest lineìs, mirificâ similitudine, contendit; affectûs denique aut è re necessariò exeuntes, aut convenientes rei, moribus postponit. Quòd si verò ejus cogitationem altiùs penetrare tentaveris, forsan invenies illum per fabulam, quoddam rei ipsius; per mores, personarum; per affectus, sermonis universale designavisse.

Fabulæ enim, omnes universalis ipsius qualitates attribuit; eam nempè primùm aliquid totum in se esse dicit; cùm verò totum id quibus componatur partibus ostendet, non parumper miraberis illum eamdem ipsius fermè ac syllogismi definitionem dare. Totum enim hoc verè est, quod tribus terminis, principio, medio

ac fine constat. Principium autem id quidem quod nihil præ se fert, à quo tamen quid necessariò oriatur; finem contrà id quod nihil post se, præ se quid per necessitatem habet; medium denique id quod et præ se et post se aliquid gerit, Stagyrita nuncupat. Ullam ne parem huicce formam præbet natura, in quâ res adeò principio et fine carent, ut contrà omnes secreto quodam concatenatæ vinculo, à nihilo usque ad infinitum non interruptâ unquàm scalâ provehantur? undè patet poetam illum qui tragœdiam condere parat, non istius humilis ac objectivæ naturæ quam nostra nimis ætas celebravit, et quæ in rebus particularibus omninò versatur, sed naturæ cujusdam contrà exemplaris, humanâ in mente, è divinis universalibus expressæ, imitationem amplecti debere.

Fabulam verò, ut ad eam redeamus, unam esse oportere, id est, unam non particulari modo ut quidam rati sunt qui unius hominis vitam narrantes actionem tamen incongruam et minimè poeticam seruere, sed unam universali modo, necessariis scilicet partibus et necessariò aut verisimiliter aliæ ex aliis exeuntibus contextam, declarat Aristoteles. Confestim autem, quo quid anteà dixerit meliùs eniteat, poetis res, non quales evenerunt, sed quales necessariò aut verisimiliter evenire aut

potuerunt, aut debuerunt, dicendas commendat. Animadvertas etiam prætereundo velim continuam hanc necessarii et verisimilis diversitatem quæ necessarii et contingentis syllogismi discrimini, id est analyticorum et topicorum libris respondet. Nunc verò arcanum totius hujusce doctrinæ ab ipso Aristotele pandi intelligas; nam quomodo inter se historia et poesis differant dùm à semetipso petat Peripateticorum princeps, non versibus tantùm sed re ipsâ longè poesim antecellere declarat. Historici enim quæ evenerunt, poetæ quæ evenire aut potuerunt aut debuerunt, conscribunt; poesis igitur historiam gravitate et moribus multùm superat; imò poesim ad universalia, historiam autem ad particularia tendere propriis ipse verbis Aristoteles tradidit. Poetas ergo, si satyricorum genus excipias, primùm universalem aliquam fabulam conserere oportet, cui mox nomina ex historiâ, idest è particulari sumpta aptentur. Insignis etiam quidam per græcorum ora ferebatur tragicus Agatho, qui tragœdias fictis omninò et rebus et nominibus composuerat. Nam ut poeta se fabulæ magis quàm carminum auctorem præstet, magister ipse hortatur. Cùm verò fabulæ et actiones aut simplices sint aut implexæ, simplices laudat, episodis consutas vituperat, implexas ita necti jubet ut accidentia alia aliis necessariò contineri, alia ex aliis

nasci, ut in syllogismo, possint. Jam denique ipsis fabulæ accidentibus, è quibus tragœdiæ partes oriuntur, definiendis incumbens, seu peripetiam, agnitionem, et violentiam (πάθη), seu prologum, episodum, exodum et chorum, seu miserationem et terrorem communes earum partium fines, certis indiciis ac limitibus determinare velit, eo semper et accuratissimè studet, ut necessarium à contingenti dividat, et particulari anteponat universale.

Mores autem, eodem ac fabulam modo, universale affectare, idest necessarios, personarum generibus convenientes, sibimetipsis similes, æquales omninò esse oportet. Quo fit ut non è machinâ, quâ morum continuitas rumpitur, sed ex ipsâ morum necessitate quærenda sit tragœdiæ clausula. Mores verò iterùm non sunt id quod cuidam homini proprium, sed omnibus ejusdem ingenii hominibus commune est. Nam quid sit in humano genere præstantius poetas et pictores simulaturos esse æstimat Aristoteles. Quapropter, exempli gratià, non iratum quemdam, sed ipsum iratorum genus, à tragœdià fingendum esse indicat.

Superesset ut de affectibus loqueremur; Stagyrita verò, cùm in Rhetorice jam de iisdem, qui sunt sermonis generaliores origines, disseruerit, nunc ad dictionem quæ sermonis ipsius regulas præbet propinquiores, transit. Quà in

parte nos, ut prædiximus, quæ ad rhetoricen simul et quæ ad poeticen spectant, æquabimus. In hac autem poesim propiùs quàm eloquentiam ad universale accedere, longiùs verò à particulari distare Peripateticorum princeps videtur comprobâsse. Nam ambarum partium quibus verba omnia assignavit, primam scilicet propriorum adscripsit rhetorice, secundam fictorum poetice legavit. Propria verò, humilia, usu tritiora, claritudinem tamen pariunt, et quò veritatem meliùs imitantur, eò ad suadendas multitudines magis sunt idonea. Ficta autem, nobiliora propter novitatem, animum suprà solitas rerum formas tollunt. Quæ igitur, seu è linguis exteris ducta, seu quâdam compositione tùm elongata, tùm constructa omninò, seu metaphoris deniquè permutata, supernaturali quodam vestitu poesim adornant, et spectatores divinis tragœdiæ miraculis optimé parant : ita ut inter se rhetoricus sermo et dictio poetica eodem fermè modo differant, quo inductio et syllogismus, illa particularibus freta, hic universalia familiariter pertractans. Metaphora verò quæ uniuscujusque ingenii proprium est instrumentum, nec tàm ad pompam quàm ad vim orationis pertinet, poesi simul et eloquentiæ consentit; sed ipsa hæc sermonis plerùmque usitata figura, in omnibus ferè syllogismo par, extrema duo, mediis qui-

busdam præteritis, jungit, et expeditâ hâc contentione mentes recreat.

Natum è carminibus pedestrem sermonem magister in Rhetorice facilè declarat; nam eloquentiæ numeros musices cujusdam metris subjicit, quæ quidem Isocrates politissimis in concionibus, Dionysius autem Halycarnassensis in laudato nimis *de Compositione Verborum* tractatu, æquos ultrà fines porrexêrunt. Periodos etiam è strophis lyricorum deductas, veteribus dithyrambicorum cantuum *anabolis*, sucessisse ratum seexhibet. Poësim igitur et temporibus, et exemplis, et divinâ universalis communicatione priòrem æstimat. In pedestri verò sermone, qui opinabilibus magis accommodatur, pronuntiatas orationes à chartis scriptis dividit; primas autem affectibus (παθητικὸν), secundas moribus (ἦθος) à particularium rerum vinculis solvere nititur. Imitationem nunc illam, quæ in sensibus tota consumitur, hominum vanissimi jactitent; nobis jam demonstratur hanc adeò in Aristotele non inveniri, ut contrà per imitationem non quod naturæ assimilatur, sed quod à naturâ discernitur Peripatetici intellexisse videantur.

Sequitur de epico carmine, quod quidem in finem unius hujusce poeticorum librorum superstitis, certâ de causâ Aristoteles amandavit. Nam in eo cùm imitatio per narrationem fiat,



particularia majorem quàm universalia locum impetrant. Hoc autem poema præmio dignius eò judicabis quò propiùs tragœdiæ partes avicinare et amplecti potuerit. Homerus itaque famam illam immortalem occupavit, et tragicos inter primus ac cæterorum quidem quasi parens annumeratus est, quia in metris ipse suis, ut tragici in iambis, fabulam unam, mores continuos, aliaque universale usurpantia omnia, intexuit. Quoniam tamen particularia multa narrare epicus soleat vates, hanc suorum carminum imbecillitatem, mirificis quibusdam ac supernaturalibus casibus, etiam ultrà rationem compositis, corrigere debet : ita ut ipsâ in narratione, ipsisque in factis ex aliquâ saltem parte universalis via aperiatur.

Possunt igitur totidem poematis, quot tragœdiæ genera computari. Tragœdiæ autem quatuor habentur, primùm nempè implexæ quæ peripetiâ, agnitione, multâ omnium eventuum catervâ abundat, secundum patheticæ, quæ supplicio quodam illustri, aut furore, aut passâ aliquâ violentiâ notatur, tertium moralis quæ virtutem exemplis commendat, quartum denique supernaturalis quæ inferorum fabulas pandit. Quibus si Homeri versus metiri velimus, Iliadem simplicem et patheticam, Odysseam implexam et moralem inveniemus.

Cùm autem ad ultima demùm verba perve-

nerit Aristoteles, et argumenta quædam poetis adversa confutaverit, gravem tandem quæstionem à Platone jam in Reipublicæ suæ colloquiis agitatam movet, petitque quænam plus valeant carmina, tragicave an epica. Platonicam verò hâc de re opinionem, ut aiunt, non tàm refellere, quàm Platonis ipsius communia principia confirmare mihi prorsùs videtur. Tragœdiam enim, quidquid ea sit per se, non quid in degeneri ætate per lasciviam gestuum actorumque devenerit, intuitus, non solùm brevioribus, pressioribus ac splendidioribus modis usam, sed tutiùs præsertim ad unitatem, quæ universalium et via et signum et finis est, tendentem acriùs collaudat.

His ità summatim delineatis, quibus et omnem impendisse vitam vix satis esset, principiis, id postremùm constabit, multùm erravisse illos recentiorum nostrorum complures, qui Aristotelem universalia particularibus postposuisse et probavisse docuerunt. Quanquam enim ea sit omnium vulgò audientium opinio, pro certo contrà facilè habebimus Stagyritam semper ab universali ad particularia et progressum fuisse et cæterorum hominum mentes perducere voluisse. Consentiunt nostræ quoque sententiæ antiquitas penè omnis, et præsertim Marcus ille Tullius, græca illa Romanorum ingeniorum lux, qui quidem *in Academicis quæstionibus* doc-

trinam veteris Academiæ à Peripateticorum disciplinâ nedùm separet, communia Platonis et Aristotelis principia, communi sermone, iisdemque verbis interpretatur. Quòd si verò tanto auctore fidentes, vera Lycæi documenta explanaverimus, quo nunc vocabimus nomine, innumeros istos rei criticæ agitatores, qui magistri Rhetoricen et Poeticen, omnimodo premere, vexare, torquere enisi sunt, et nequaquàm verum è quo cætera præcepta decurrunt fontem adire deliberaverunt. Corruere igitur è summo omnes et injuriarum et captionum et imbellium argumentorum machinæ mihi jamdiù visæ sunt, quibus illa divini ingenii, et ipsius imò rationis præcepta disturbanda ac ejicienda, pactæ simul arrogantia et ignorantia conspiraverunt. Resurgendam et Aristotelis omnem similiter de arte doctrinam, priori jam labente seculo, prænuntiabat, recentiorum ille germanarum litterarum facilè princeps, Lessingius, qui eam penitùs noscere se prædicabat, et explanandam certè suscepisset, nisi plenam operis, non diebus vitam sors intercepisset.

Sentio equidem, si ex hâc disputatione clarum satis prodeat, Aristotelis doctrinam particularis et universalis notitiâ aperiri, fore ut eorumdem cohærentia et comparatio ampliùs esset demonstranda. Hæc autem, et metaphy-

sica sunt, et à nostro abhorrent proposito; inficiari tamen noluerim, cùm ad id mentem sæpiùs adverterim, quin omnis ea quæstio in illâ tàm confusè jampridem traditâ generum et specierum formulâ, sita sit. Hæ verò ipsæ voces, quæ gallico imprimis et latino etiam sermone obscurantur, græco contrà ad lucem ferri videntur et provehi. Quarum nempè patet alteram (γένος) divinum gremium à quo omnia oriuntur, alteram (εἶδος) formam quibus omnia hæc ipso in æternitatis sinu distinguuntur, significare. Illa verò est et Idearum platonicarum, et Verbi illius quod Plato Christianæque dehinc gentes adoraverunt, quædam à Stagyritâ sancita transformatio. Cùm verò in syllogismis genus (γένος) et species (εἶδος), priora duo usurpare loca soleant, sequitur et alius necessariò tertius terminus; ita ut omne postremò Aristotelicæ disciplinæ arcanum in hoc vocabulo *inesse* contineatur. Undè, et tripartitam divisionem, ut ipse Marcus Tullius confessus est, apud Peripateticos necessariam esse, et ipsius Aristotelis acroaticam doctrinam in quâdam Trinitatis præsumptione, syllogismo quidem revelatâ, penitùs fuisse fundatam, dicere auderem. Sed et hæc denique, ut ad metaphysicam non tantùm, sed et ad theologiam spectantia, omittamus.

Vu par nous Doyen de la Faculté,

Lyon, le 16 mars 1840,

REYNAUD.

Permis d'imprimer,

Le Recteur de l'Académie de Lyon,

J. SOULACROIX.

